

Prob. 2^o eadem min. ex SS. Augustino et Thoma. Augustinus lib. *de Natura et Gratia*, c. 43, n. 50, docet Deum non præcipere impossibilia¹. Ergo supponit dari gratiam qua possibilia fiant, etiam in iis qui ea non servant. Ergo gratiam sufficientem. S. Thomas, 1^a 2^a, q. 106, a. 2, ad 2: « Nova lex, inquit, quantum est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum. » Alia ex S. Doctore referam art. sequenti.

His adde hanc secundam Jansenii propositionem damnatam: « Interi gratiæ, in statu naturæ lapsæ, nunquam resistitur. » Ergo datur gratia interior cui resistitur, quæque ideo non est efficax, sed sufficiens tantum.

(*Solvuntur objectiones.*)

Obijciunt 1^o Janseniani plures textus Augustini, quibus requirit gratiam efficacem, ut homo possit velle et facere bonum.

Resp. Augustinum intelligendum esse de potentia consequente et conjuncta cum actu, non de potentia antecedente et meræ possibilitatis.

Inst. Augustinus, *de Corrept. et Grat.*, cap. 10, 11 et 12, n. 26-39, in hoc statuit discrimen inter gratiam status innocentiae et gratiam status naturæ lapsæ, quod gratia sufficiens esset propria statui innocentiae, gratia vero efficax sit propria statui naturæ lapsæ. Ergo, juxta Augustinum, nulla datur gratia sufficiens tantum in statu naturæ lapsæ.

Resp. Nego ant. Equidem docet Augustinus, Adamo datam fuisse tantum gratiam sufficientem ad perseverandum, et nunc dari prædestinatis efficacem; at non dicit hanc esse propriam huic statui, et illam propriam statui innocentiae. In hoc autem inter utriusque status gratiam ponit discrimen, quod homo in hoc statu ad perseverandum actu indigeat, non solum gratia secundum commu-

1. « Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis, etc. »

nem cursum movente et applicante, sed gratia speciali sanante et roborante ejus infirmitatem: Adam vero, cujus natura erat sana et robusta, indiguerit tantum gratia secundum communem cursum applicante et movente, non altera speciali præter communem cursum sanante et roborante. Vide quæ de ista difficultate plus quam satis dixi dissert. II hujus tract., a. 4.

Obj. 2^o: Juxta Thomistas, omnis gratia interior, etiam illa quam vocant sufficientem, habet effectum. Ergo omnis gratia interior est efficax, et nulla mere sufficiens.

Resp. Dist. ant. Omnis gratia habet effectum imperfectum et minus principalem, *conc.*; perfectum et principalem ad quem datur, *nego*. Unde *dist.* conseq. Ergo omnis gratia est efficax secundum quid et cum addito minuente, *conc.*; simpliciter et absolute, *nego*. Explicatur.

Equidem docent Thomistæ, nullam esse gratiam actua-lem intrinsece receptam, etiam illam quam vocant sufficientem, quæ non habeat aliquem effectum, quia impossibile est quod Deus moveat meam voluntatem et mea voluntas non moveatur; actio enim moventis in moto est motus. Verum, quia effectus quem producit gratia quæ remanet sufficiens, non est principalis quem intendit et ad quem datur (etenim, et ex voluntate Dei illam dantis, et ex propria natura, tendit ad ulteriorem et perfectiorem effectum, puta vel conversionem, vel actum meritorium, quem non obtinet, si quidem ad eum disponat et potentiam conferat), ideo non potest dici simpliciter et absolute efficax; sed, e contra, dicendo sub restrictione quod sit efficax quantum ad aliquem et minus principalem effectum, scilicet potentiam plus vel minus proximam agendi, debet dici simpliciter et absolute inefficax, eo quod non obtineat principalem effectum ad quem ordinatur et disponit et pro quo confert potentiam: quia, juxta philosophos, denominatio simplex et absoluta alicujus rei, petitur ab eo quod est in ea perfectius et principalius.)

ARTICULUS V

Quo sensu admittenda sit gratia sufficiens?

Dico : Admittenda est gratia sufficiens sensu Thomistico, non alio.

Probatur. Gratia sufficiens, sensu Thomistico, est quæ confert homini facultatem bene agendi, ultra quam, ut bene agat, aut bene utatur hac facultate, requiritur altera validior, scilicet efficax. Atqui admittenda est gratia hoc sensu sufficiens. Ergo. — Minor, quoad primam partem, nempe admittendam esse gratiam quæ det posse facere bonum etiam iis qui non faciunt, probata manet ex articulo præcedenti. — Prob. secunda pars. Actio bona est quid distinctum a potentia bene agendi, quid nobilius et perfectius ipsa et quod præcipuum est in negotio salutis. Atqui Deus est prima et immediata causa salutis et omnium actus salutaris. Ergo, sicut per gratiam sufficientem constituitur prima et immediata causa potentia bene agendi, ita per gratiam efficacem a sufficienti distinctam constitui debet prima et immediata causa actus salutaris.

Confirmatur. Non potest admitti gratia sufficiens sensu Molinæ vel Congruistarum. Ergo admittenda est sensu Thomistarum. — Prob. ant. Juxta Molinam, bonus usus gratiæ sufficientis, seu consensus quem illi præbet homo, non est a Deo tamquam a causa prima dante illum, sed cum Deo expectat a voluntate creata, et ad summum est a Deo ut concausa per concursum simultaneum; quod admitti non potest. Idem dicendum de gratia congrua; hæc enim, facientibus ipsis Congruistis, nihil plus habet in ratione entis physici et auxilii, quam gratia Molinæ. Ergo. Hæc pauca nunc; quæcumque enim probant necessitatem gratiæ per se efficaciæ, de qua infra, probant hanc conclusionem. +

Obj. 1^o : Ista gratia non est sufficiens, præter quam alia requiritur. Atqui, præter gratiam sensu Thomistico suffi-

cientem, alia requiritur. Ergo. — Patet maj.; quia sufficiens est præter quod nihil requiritur.

Resp. Dist. maj. Ista gratia non est sufficiens ex omni parte et in omni genere, præter quam alia requiritur, *conc. maj.*; non est sufficiens in suo genere, *nego maj.* Ad cujus sensum *dist. min.* Atqui, præter gratiam thomistice sufficientem, requiritur altera in diverso genere, *conc. min.*; in eodem genere, *nego min.* Unde ad probat. maj. similiter *dist.* Illud est sufficiens, præter quod nihil aliud requiritur in quovis alio genere, *subdistinguo.* Et hoc solum dicitur sufficiens, *nego*; et insuper dicitur sufficiens id præter quod nihil aliud requiritur in suo genere, licet aliud requiratur in diverso genere, *conc.*

Dicimus itaque, gratiam quæ sic dat homini facultatem bene agendi, ut si non agat, non ideo sit quia non potest, sed quia non vult: dicimus, inquam, talem gratiam proprio et naturali sensu atque juxta communem loquendi modum esse et vocari sufficientem, quamvis ad actu agendum requiratur altera efficax. Equidem non est sufficiens in omni genere et ordine, cum requiratur alia alterius generis et ordinis; sed est sufficiens in suo genere et ordine. Et dicimus quod sic loqui, sit loqui in sensu proprio et prout communiter loquimur. Enimvero quotidie dicimus, ignem esse sufficientem ad comburendum, licet ultra debeat applicari subjecto combustibili; panem esse sufficientem ad nutriendum, quamvis præterea debeat masticari, deglutiri et concoqui; intellectum esse sufficientem ad intelligendum, licet nunquam intelligat, nisi ulterius adhibeantur species [intelligibiles] et admoveatur objecto per ulteriorem motionem; passionem Christi esse sufficientem ad nos salvandos, etiamsi nunquam nos salvet, si aliunde nobis ejus merita non applicentur, et sexcenta alia: sic, inquam, loquimur sermone communi. Sic loquitur S. Thomas, eadem exempla proferens hic q. 109, a. 1, o, et 3^a p., q. 61, a. 1, ad 3.

Sicut ergo, cum dicimus ignem esse sufficientem ad comburendum, intellectum ad intelligendum, panem ad nutriendum, passionem Christi ad nos salvandos, istæ

phrases non significant, in sensu proprio et communi loquendi modo, ad comburendum, intelligendum, nutriendum, nos salvandos, de facto nihil aliud requiri in quovis alio genere, præter vel ignem, vel intellectum, vel panem, vel passionem Christi; sed tantum quod, quantum ad virtutem comburendi, intelligendi, nutriendi, nos salvandi, non alia requiratur virtus quam vel ignis, vel intellectus, vel panis, vel passionis Christi: ita, cum dicimus, gratiam esse sufficientem ad bene agendum, ista phrasid, in sensu proprio et secundum communem modum loquendi, non significat, ad actu agendum, nihil aliud requiri in quovis alio genere; sed tantum quod sine quavis alia virtute ejusdem ordinis conferat nobis sufficientem facultatem bene agendi, si velimus. Quapropter imperite nobis objicitur quod abutamur terminis, quodque doceamus gratiam sufficientem quæ non sufficit.

Inst.: Omissa quæstione de nomine, et dato gratiam thomistice sufficientem posse sano sensu dici sufficientem, quatenus dat sufficienter posse: saltem est revera insufficientem ad actu operandum, seu actu observandum mandatum. Atqui ad hoc debet esse sufficiens, quia Deus non præcipit nobis ut possimus observare mandata, sed ut de facto observemus. Ergo. — Prob. maj. Illa gratia est insufficientem ad observandum actu mandatum, cui ad actualem observationem deest aliquid quod non est in nostra potestate. Atqui gratia efficax quam Thomistæ requirunt ad actualem observantiam, deest, et non est in nostra potestate. Ergo. Ita Honoratus Tournely, quæst. vii de Gratia, a. 4, concl. 3.

Resp. Nego maj. Ad prob., *dist.* min. Gratia efficax non est in nostra potestate, ut effectus qui illi subsit, *conc.*; ut causa quæ illi presto sit, *nego*. Deus enim, quantum est ex se, paratus est omnibus qui habent gratiam sufficientem dare efficacem, nec eam ulli denegat, nisi propter culpam quæ saltem ordine et natura præcedit subtractionem gratiæ efficacis. Hanc difficultatem latius deductam habes in tract. de Deo, dissert IX, a. 4, § 3. Vide.

Obj. 2º: Gratia thomistice sufficiens est prorsus inutilis.

Ergo non est admittenda. — Prob. ant. Illa gratia est inutilis, qua nemo unquam utitur. Atqui gratia thomistice sufficientem nemo unquam utitur. Ergo.

Resp. cum nostro Goudin, *dist.* ant. Gratia thomistice sufficiens est inutilis ex se, *nego*; per accidens, defectu hominis, *conc.* Dat enim ex se verum posse, quod utile est; quod si homo eo non utatur, hominis, non gratiæ, culpa est. Deus autem, sicut in natura, sic in gratia multa præstat ex se utilia, quæ nostro defectu carent effectu. Ad id quod additur, gratia thomistice sufficientem neminem unquam uti, *dist.* Nemo utitur gratia thomistice sufficientem, reduplicative ut mere sufficientem, *conc.*; specificative ut dat facultatem boni, *nego*. Gratia sufficiens potest dupliciter considerari, quod, ut observat laudatus Goudin, plerique non satis advertunt: 1º ut est mere sufficiens, sub qua ratione connotat permissionem Dei ut homo ei desit illique resistat; et hoc sensu verum est, neminem illa gratia bene uti. 2º Spectari potest quoad propriam entitatem et proprium præcise effectum, qui est dare posse bonum, et hoc sensu falsum est, neminem ea bene uti; nam plerique illa sic considerata bene utuntur et bene agunt, licet hoc ipsum, quod bene ea utantur, sit effectus gratiæ efficacis. Sicut ergo virtus fructificandi in plantis non est frustra, licet in plerisque, propter defectus accidentales, remaneat sine effectu, quia in aliis fructum fert; ita, a pari, in nostro casu.

ARTICULUS VI

Quid et quotuplex sit auxilium gratiæ sufficientis?

Dico: Auxilium sufficiens non consistit in aliquo uno determinato indivisibili, sed in pluribus concurrentibus ad actus nostros, unoquoque in suo genere et inadæquate.

Probat. Nomine auxilii sufficientis intelligimus id omne quod Deus nobis concedit, ut possimus facere opus

salutare, ita ut, non defectu auxilii, sed hominis se divino auxilio subtrahentis, bonum omittatur aut malum fiat. Atqui Deus nos multiplici modo adjuvat ad bonum, modo exterius per legem, per prædicationes, exhortationes, exempla, miracula, flagella, beneficia, etc.; modo interius, per mentis illustrationes, voluntatis motiones et habitus infusos virtutum. Ergo.

Confirmatur. Auxilium sufficiens est, cui homo resistit. Atqui Scriptura exhibet plura genera gratiarum quibus homo resistit, qualia sunt quæ modo recensebam. Ergo.

Hinc colliges, varias esse divisiones auxilii sufficientis. 1^o Dividitur in externum et internum. Ad externum pertinent quæ jam dixi: lex, prædicatio, exhortatio, exempla, miracula, adversitates, beneficia, imo certa rerum creaturarum dispositio per specialem providentiam directa et imperata in ordine ad salutem. Internum est quod Deus intra hominem operatur, ad ipsum promovendum in bonum et avocandum a malo. Est duplex: unum transiens, ut sunt illustrationes mentis et motiones voluntatis; alterum permanens, ut sunt habitus infusi.

2^o Dividitur auxilium sufficiens in *morale* et *physicum*. Ad morale pertinent auxilia externa, quibus Deus, vel ostensione boni, vel comminatione mali, ad bonum nos movet. Ad illum etiam pertinent illustrationes mentis, quæ quamvis respective ad mentem sint physicae, respective tamen ad voluntatem sunt morales, quatenus eam tantum movent objective, propositione boni vel mali. Physicum est quo Deus, ut causa efficiens, hominem movet, operando in voluntate et eam immutando.

3^o Dividitur auxilium sufficiens in *proximum* et *remotum*. Proximum est quo quis immediate potest bonum opus facere, ut sunt, v. g., habitus infusi respective ad suos actus. Remotum est quo quis non est quidem proxime potens ad actum, sed tamen potest facere aliquid facilius, quod si faciat, perveniet ad actum: v. g., peccator non est proxime potens ad superandas graves tentationes, sed potest per gratiam orare, quod si faciat, fiet proxime potens ad vincendas tentationes. Hanc differentiam indi-

cat Trid., sess. vi, cap. 11, ex Augustino, dum dicit: « Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis: » en auxilium proxime sufficiens, « et petere quod non possis: » ecce remote sufficiens. Hæc distinctio est apprimè utilis ad solvendas plures difficultates.

ARTICULUS VI

DE GRATIA EFFICACI

Unde repetenda sit ejus efficacia, et an sit per se efficax?

Gratiam efficacem intelligimus hic eam quæ reipsa habet effectum et cui non resistitur, ita ut, quanta vi polleat, si non sortiatur effectum, non sit efficax; quia sumitur hic gratia efficax prout distinguitur a sufficiente. Sufficiens dicitur quæ dat posse, efficax quæ dat agere.

Dari hoc sensu gratiam efficacem nullus negat. Sed difficultas est, eaque gravissima et celeberrima, unde hæc gratia habeat quod sit efficax? Non dico unde habeat vim qualitercumque efficiendi, quod est esse efficax in actu primo; certum est enim quod habeat a Deo: sed unde habeat quod certo et infallibiliter obtineat consensum nostrum, quod est esse efficax in actu secundo, et eo modo quo intelligimus hic gratiam efficacem, ut patet ex dictis.

Puri Molinistæ efficaciam gratiæ repetunt ab eventu, ita ut, juxta illos, non dentur nisi gratiæ ex se sufficientes, quæ fiunt efficaces ex consensu voluntatis humanæ, seu quia voluntas humana illis consentit.

Congruistæ efficaciam infallibilem gratiæ repetunt ex directione *scientiæ mediæ*, et quia datur in eis circumstantiis in quibus prævisa est habere effectum; sed quia neque circumstantiæ neque præscientia quidquam virtutis conferunt gratiæ, ut fatentur ipsimet Congruistæ, etiam in hac sententia, sicut in sententia Molinæ, repetitur efficacia gratiæ ex ipso consensu voluntatis, ita ut sit efficax, quia

voluntas consentit, non autem voluntas ideo consentiat, quia est efficax. Unde, in utroque systemate, gratia sufficiens et efficax non distinguuntur entitative et per sua intrinseca, sed, in systemate Congruistarum, per circumstantias extrinsecas; eadem enim entitative gratia quæ est efficax in uno qui consentit, est inefficax in altero qui non consentit.

Thomistæ repetunt efficaciam gratiæ ex intrinsicis, sive ex omnipotentissima Dei voluntate et supremo dominio quod habet super voluntates hominum, sicut in cætera creata: ita quod inter gratiam et effectum sit connexio infallibilis, non solum infallibilitate præscientiæ, ut volunt Congruistæ, sed causalitatis; neque infallibilitas operationis fundetur in præscientia nostri consensus, sed, e contra, præscientia nostri consensus fundetur in infallibilitate divinæ causalitatis.

Dico: Efficacia gratiæ repetenda est, non ex eventu, neque ex directione scientiæ mediæ, aut congruitate circumstantiarum, sed ex omnipotentissima Dei voluntate atque ejus supremo dominio in voluntates nostras, sicque est per se infallibiliter efficax, non infallibilitate scientiæ tantum, sed et causalitatis.

Hanc conclusionem directe probant quæcumque dixi in tract. *de Deo*, dissert. VI, contra scientiam mediam et pro decretis per se efficacibus. Quapropter non omnia ex integro repetam, sed compendio tantum, et indicando loca, quibusdam tamen additis.

1º Probatur ex Scriptura.

1º Apost., I Cor., iv, 7, dicit: *Quis te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Atqui, si gratia non sit efficax ex se consensus nostri, sed ipsum expectet a nobis et per eum fiat efficax, homo habet aliquid quod non accepit et in quo possit gloriari et se discernere ab altero qui æquali gratia præventus non consentit, nempe ipsum consensum gratiæ, quem non habet a gratia, sed a se. Ergo. Hoc

(1) id est, mora est causa etc.

argumentum fusius deductum et varias adversariorum responsiones require *de Scientia mediæ*, § 2.

2º Juxta Scripturam, Deus facit ut faciamus, *Ezech.*, xxxvi, 27: *Faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Facit ut velimus, *Philipp.*, ii, 13: *Operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate.* Facit de nolentibus volentes, auferendo duritiam et resistentiam voluntatis et dando obedientiam seu consensum, *Ezech.*, xi, 19 et xxxvi, 26: *Auferam cor lapideum de carne vestra et dabo vobis cor carneum.* Unde Augustinus, *de Prædest. sanct.*, c. 8, n. 13: « Hæc gratia quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur; ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. » Atqui Deus non dat nobis ut velimus et faciamus, non aufert cor lapideum, id est, cor resistens, non dat cor carneum, id est, cor docile et consentiens, non aufert duritiam et resistentiam cordis per gratiam pendulam et permissam libero voluntatis arbitrio, expectantem ejus obedientiam vel resistentiam, ejus consensum vel repulsum, ut patet ex terminis; sed per gratiam vi propria effectricem bonæ volitionis et cordis docilis, obedientis et consentientis, atque victricem duritiei et resistentiæ voluntatis. Ergo.

3º Juxta Scripturam, gratia est infallibiliter efficax consensus nostri ex omnipotentissima Dei voluntate et supremo dominio quod habet super voluntates nostras. Ergo non ex consensu voluntatis humanæ.—Prob. ant. *Esther*, xiii, 9 et 11, Mardocheus, orans Deum ut convertat cor regis Assueri Judæis infensi, dicit: *Domine Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel... Dominus omnium es, nec est qui resistit Majestati tuæ.* Et cap. xiv, 12 et 13, regina Esther sic orat: *Domine Rex deorum et universæ potestatis... transfer cor illius in odium hostis nostri.* Et cap. xv, 11, subjungitur: *Convertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem.* Quibus verbis infallibilitas et efficacia motionis et gratiæ divinæ refertur evidenter ad Dei omnipotentiam, et non ad consensum Assueri prævisum. Unde Augustinus, lib. I

contra duas epist. Pelagian., ad Bonif., c. xx, n. 38, expendens hæc verba, dicit : « Cor regis... occultissima et efficacissima potestate convertit et transtulit ab indignatione ad lenitatem. » Item *Prov.*, xx, 1, cor regis in manu Dei comparatur divisionibus aquarum in manu hortulani : *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini : quocumque voluerit inclinabit illud. Eccli.*, xxxiii, 13, homo in manu Dei comparatur luto in manu figuli. *Isa.*, x, 15, comparatur securi, virgæ, baculo, in manu hominis iis utentis prout vult. Quibus comparisonibus manifestum fit, Deum vi suæ potestatis et dominii de voluntatibus ad nutum disponere, non vero ab eis expectare qui voluerint.

Reponit Honoratus Tournely, hæc frustra objici, quia nemo negat gratiæ vim et efficaciam derivari ex omnipotentissima Dei virtute. Hic verbis ludit et illudit Tournely. Ita quidem. Nemo negat gratiæ vim et efficaciam quam habet, derivari ex omnipotentissima Dei virtute ; sed Molinistæ et Congruistæ negant gratiam habere vim et efficaciam ex omnipotentissima Dei virtute determinandi infallibiliter voluntatem ad consensum, ut ferunt textus laudati, quippe qui volunt eam esse efficacem per consensum ipsum. Et ita negarunt in Congregatione habita coram Paulo V, 20 septembris 1603. +

2º Probatur ex Augustino.

Et primo ex terminis quibus S. Doctor exprimit gratiæ efficaciam. Lib. I *de Peccat. meritis et remiss.*, cap. 9, n. 20, vocat gratiam efficacem, « Spiritus sancti occultissimam gratiam. » Lib. *de Gratia Christi*, cap. 24, n. 25 : « Internam et occultam, mirabilem ac ineffabilem potestatem qua Deus operatur in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. » Lib. IV *contra Julian.*, cap. 8, n. 42 : « Omnipotentissimam voluntatem. » Lib. I *contra duas epist. Pelag.*, c. 20, n. 38 : « Occultissimam et efficacissimam voluntatem ac potestatem, quæ convertit et transfert corda hominum ab indignatione ad lenitatem. » Lib. *de Corrept. et Gratia*,

c. 14, n. 43 : « Inclinandorum cordium omnipotentissimam potestatem. » *De Prædest. sanct.*, c. 8, n. 13 : « Gratiam quæ a nullo duro corde respuitur, quia ad tollendam cordis duritiam primitus datur. » Atqui hæc competunt gratiæ per se et ~~in~~ extrinsecis efficaci, nullatenus gratiæ permissæ libero arbitrio, et quæ ab ejus consensu aut circumstantiis loci vel temporis redditur efficax. Nam 1º hæc gratia non operatur occultis, miris et ineffabilibus modis ; causa enim cur operetur, est in hoc systemate obvia et aperta, scilicet consensus humanæ voluntatis. 2º Non est potentissima et efficacissima, siquidem nihil possit operari, si voluntas humana resistat. 3º Non efficit ut homo sit volens et consentiens, cum, e contra, sit efficax quia homo vult et consentit. 4º Denique, non inclinat corda quo et quando Deo placet, sed potius homo flectit divini potentiam quo et quando sibi placet. Ergo.

2º Augustinus, *de Prædest. sanct.*, cap. 10, n. 19, dicit : « Quando promisit Deus Abrahamæ in semine ejus fidem gentium, ... non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines. Quia, etsi faciant homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant quæ præcipit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit : alioquin, ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate, et quod a Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahamæ. Non autem sic credidit Abraham, sed credidit *in gloriam Deo, quoniam quæ promisit, potens est et facere, Rom.*, iv, 20 et 21. Non ait « prædicare, » non ait « præscire, » ... sed, *potens est facere*, ac per hoc facta, non aliena, sed sua. » Atqui, si gratia non sit per se efficax consensus nostri ad fidem aut pietatis opus, sed ipsum expectet et ab ipso pendeat ut sit efficax, sequitur : 1º quod, quando Deus promisit fidem Abrahamæ, non de sua prædestinatione, sed de nostræ voluntatis potestate promisit. 2º Quod promisit, non quod ipse facturus erat, sed quod homines. 3º Quod ipse non faciat ut faciant homines quæ præcipit, sed illi faciant ut ipse faciat quod promisit. 4º Quod, ut Dei promissa im-

pleantur, non in Dei, sed in hominum sit potestate. 5^o Quod potens sit prædicare et præscire quæ promisit, sed non potens facere, cum hæc pendeant a voluntate humana, sicque quod facta aliena, non sua, promiserit: quæ omnia sunt directe contra Augustinum. Ergo.

Confirmatur. Augustinus, *de Corrupt. et Gratia*, c. 14, n. 45, probat « Deum facere de hominum voluntatibus quod vult, cum vult; » quia « magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas. » Atqui homo, ex potestate quam habet in voluntatem suam, se determinat efficaciter, et quod capitale est, salva sua libertate. Ergo, a fortiori, Deus ex majori potestate quam habet in voluntates hominum, determinat eas efficaciter, salva eorum libertate: alioquin quomodo haberet magis in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas?

4^o Juxta Augustinum, difficile est conciliare libertatem cum gratia. Sic lib. *de Gratia Christi*, c. 47, n. 52: « Ista quæstio, ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur, ista est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. » Et lib. II *contra litt. Petiliani*, cap. 84, n. 185: « Si tibi proponam quæstionem, quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficile soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit ut quis quod voluerit eligat? Et tamen utrumque verum est; sed intellectu hoc penetrare pauci valent. » Atqui, in utroque systemate Molinistarum et Congruistarum, omnes facile penetrare possunt concordiam libertatis cum gratia. Quis enim, etiamsi stupidissimus, non intelligat manere libertatem cum gratia quæ ab ejus nutu pendet? Imo, ideo conficta sunt ista systemata, ut hæc concordia facile perciperetur. Quo uno palam est quantum distant ista systemata ab Augustini systemate.

3^o Probatur ex S. Thoma.

Ex innumeris pauca seligo. 1^o S. Doctor 1^a 2^a, q. 10, a. 4, ad 3, dicit: « Si Deus movet voluntatem ad aliquid,

impossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur; non tamen est impossibile simpliciter. » Q. 6 *de Malo*, a. unico, ad 3: « Deus movet quidem voluntatem immutabiliter, propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest; sed, propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet liberta: sicut etiam in omnibus providentia divina infallibiliter operatur, et tamen a causis contingentibus proveniunt effectus contingenter, in quantum Deus omnia movet proportionabiliter, unumquodque secundum suum modum. » 1^a p., q. 19, a. 8, o: « Cum voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam Deus fieri necessario, quædam contingenter, ut sit ordo in rebus, ad complementum universi. » Et ad 2: « Ex hoc ipso quod nihil voluntati divinæ resistit, sequitur quod non solum fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter vel necessario quæ sic fieri vult. » Hæc sunt plana et aperta, atque diserte in terminis expriment efficaciam infallibilem gratiæ repetendam esse ex efficacia voluntatis divinæ, et, quod potissimum est, salvam manere libertatem sub illa.

Utrumque iterum eruitur ex q. 22 *de Verit.*, a. 8, o, ubi dicit: « Omnis actio voluntatis, in quantum est actio, non solum est a voluntate ut immediate agente, sed etiam a Deo ut primo agente, qui vehementius imprimit. Unde, sicut voluntas potest immutare suum actum in aliud, ita et multo amplius Deus. » Nihil urgentius. Inde enim sic formo argumentum: Deus, ut primum agens, vehementius imprimit voluntati, quam ipsa, ut secundum agens, sibi. Atqui voluntas, ut secundum agens, seipsam in genere causæ efficientis movet et se determinat ad agendum salva libertate. Ergo multo amplius Deus, ut primum agens in genere causæ efficientis, ipsam movet et determinat salva libertate.

2^o Juxta S. Thomam, usus gratiæ est a gratia. Ergo vi sua est efficax. — Ant. docet S. Doctor 1^a p., q. 23, a. 5,

o; q. 6 *de Verit.*, a. 2, ad 11; lect. 1 in cap. 15 *I ad Cor.*; lect. 3 in cap. 9 *ad Rom.*, ubi in terminis dicit: « Ipse usus gratiæ est a Deo. »

4^o *Probatur rationibus.*

Rationes sunt inconvenientiæ quæ deduxi contra *scientiam mediam* et quæ nunc compendio sic resumo.

1^o Sublata gratia per se efficaci, et posita gratia efficaci ab eventu seu ex præscientia et circumstantiis, hoc est, gratia pendula permissa determinationi liberi arbitrii et ejus consensum ac determinationem expectante, sequitur 1^o quod tollatur a Deo ratio primæ causæ et primi motoris, quia voluntas se determinat, non determinata a Deo. 2^o Quod tollatur ab eo ratio causæ universalis; quia est aliquid, scilicet consensus et libera determinatio voluntatis, quod ejus causalitatem subterfugit. 3^o Quod decurte- tur omnipotentia Dei et supremum dominium quod habet supra nostras voluntates; quia non potest in quibusvis circumstantiis voluntates nostras inclinare in bonum. 4^o Quod tollatur, præcipua ex parte, necessitas orationis; nam, in illa sententia, non est necesse a Deo petere quod consentiamus gratiæ, cum id sit a nobis, et non a Deo. 5^o Quod non debeamus Deo gratias agere pro eo quod est caput in negotio salutis, scilicet pro determinatione ad bonum, quæ est a nobis, et non a Deo. 6^o Quod non in sola spe gratiæ inniti debeamus, sed præcipue in nostra libertate, cum sit semper nobis liberum eam reddere efficacem, et inde quod non tam anxie timere debeamus pro salute nostra, nec tanta sollicitudine illi invigilare. 7^o Quod hæc sententia videatur affinis Semi-Pelagianismo, quatenus componit cum Deo, partem homini vindicet et partem Deo, et quod pejus est, homo primum tollat, promendo ex se suum consensum, Deo posterius det: in quo, juxta Augustinum, situs erat error Semi-Pelagianorum. 8^o Specialiter contra systema gratiæ congruæ, quod Deus in illo non sit magis author bonorum quam malorum operum; quia, in tantum, in eo systemate, Deus dicitur author bonorum operum, in quantum ponit hominem in iis circumstantiis in quibus prævidet eum bene usurum gratia, et cum eo

simultanee concurrat ad opus. Atqui pariter illum qui male agit ponit in iis circumstantiis in quibus prævidet illum gratia oblata male usurum, et concurrat simultanee cum illo ad malum opus. Ergo. Hæc omnia fusius exposita cum responsionibus adversariorum, præsertim Honorati Tournely, require in tract. *de Deo*, dissert. VI, *de Scientia media*, a. 6, § 7.

Adde iterum specialiter contra idem systema gratiæ congruæ, quod subjaceat omnibus fere difficultatibus quæ contra gratiam per se efficacem proponuntur. Nam is cui denegatur gratia congrua et datur tantum incongrua, non plus facit aut faciet quam is cui denegatur gratia per se efficax et datur tantum sufficiens thomistica, ut non semel in tract. *de Deo* et in hoc præsentis observavimus. Unde Martinonus, Societatis Jesu scriptor, in suo *Anti-Jansenio*, disp. 26, sect. 3, n. 25, concludit eam sententiam fuisse inutiliter excogitatum ad explicandas difficultates circa auxilia gratiæ. Et Honoratus Tournely, q. 7 *de Grat.*, a. 4, concl. 4, eam rejicit, quia vel relabatur in sententiam Molinæ, vel premitur iisdem difficultatibus ac systema thomisticum.

2^o Confer diligenter in tract. *de Deo*, dissert. VIII, *de Decretis*, a. 2, ubi prima ratio omnia ferme hucusque dicta summam complectitur cum omnibus adversariorum effugiis præclusis. Ibidem pro coronide adjecimus, adversarios alibi agnoscere, nosram determinationem in bonum non esse a Deo; quod hic negant, ut tot absurditatum declinent invidiam. Hæc, inquam, omnia hic habeto pro dictis, ne eadem repetere cogamur.

(Id unum tantum observandum est, quod jam ex parte observavi § 2 *de scientia media*, scilicet argumentis quibus probatur, in sententia Molinistarum et Congruistarum, gratiam subjici voluntati, ab ea determinari et esse ejus pedissequam, duas passim a Tournelio adhiberi responsiones. 1^o Dicit absurdum esse ut superior dicatur inferiori subjici, quando inferior superioris mandata exsequitur. 2^o Pariter absurdum esse pronuntiat, ut quod ex se determinatio quædam est, inclinatio, impulsus ad aliquid,